

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CCCIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## CCCIX.

BONIFACIUS IX. PONTIFEX EPISCOPO SPIRENSI  
 INJUNGIT UT MATRIMONIUM INTER BERNHARDUM MAR-  
 CHIONEM BADENSEM ET ANNAM COMITISSAM DE  
 OTINGHEN, QUOD IMPEDIMENTUM CANONICUM  
 DIRIMEBAT, CONFIRMET.

ANNO MCCCXCVIII.

*Ex tabulario Bada - Durlacensi.*

**B**onifatius Episcopus servus servorum Dei, Venerabili fratri Episcopo  
 Spirensi salutem & apostolicam benedictionem. Oblate nobis pro  
 parte dilecti filii, Nobilis viri *Bernhardi Marchionis de Baden* & dilectae  
 in Christo filie Nobilis mulieris *Anne comitisse de Otinghen* tue dioecesis  
 petitionis series continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedi-  
 mentum inter ipsos existere, quo minus possent inuicem matrimonialiter  
 copulari, matrimonium in simul contraxerunt, per uerba legitime de  
 presenti, illudque carnali copula consumarunt. Cum autem sicut ea-  
 dem petitio subiungebat postmodum ad ipsorum *Bernhardi* & *Anne* no-  
 titiam peruenerit quod ipsi Quarto consanguinitatis gradu inuicem sunt  
 coniuncti, propter quod in huiusmodi matrimonio licite remanere ne-  
 queunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, pro parte *Bern-*  
 hardi,

hardi, & Anne predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis gratia de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ex certis causis nobis expositis huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue de qua in hijs & alijs speciale in domino fiduciam obtinemus per apostolica scripta, committimus & mandamus quatinus si est ita, dictaque Anna propter hoc rapta non fuerit cum dictis Bernhardo & Anna ut impedimento quod ex consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante in huiusmodi matrimonio sic contracto remanere libere & licite ualeant apostolica auctoritate dispenses prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam & fuscipiendam legitimam decernendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. Kl. Nouembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Jo. de Bononia.

Pro. Jo. Panella,

Fredericus.

N. de proprio  
Sacrandus.

Cod. Dipl.

B b b b